

Ad quæ legitima fuerant ratione uocati  
 Id semper summo prospiciente DEO.  
 Vnde parum laudis non his accessit Athenis  
 Marchiacis, terræ Principibusq; uiris,  
 Numine qui moti generosa mente uolebant  
 Munera non paucis tanta parata locis.  
 Namq; bonum quoduis communia linquere gaudet  
 Quæ statuit multis conciliare bonum.  
 Hoc sanctum sed consilium uel regia facta  
 MARCHIONVM, paucis Musa referre negat.  
 Adde quod & patriæ terræ sunt inde secuta  
 Commoda mille chori, commoda mille fori.  
 Isto nam constat quibus obruta tempore tellus  
 Hæc fuerit tenebris Relligione sua  
 TETZELIUS cum uenales obtrudere merces  
 Ausus erat spondens regna superna poli.  
 His tamen exclusus sed ut impius ipse carebat  
 Sic nulli poterat uendere Verna Papa.  
 Illius hinc fraudes syncera docente LVTHERO  
 Detectæ cunctis his patuere locis.  
 Et licet immittens fera fulmina uoce styloq;  
 Subsidiũ damnis quæreret ille suis,  
 Attamen haud potuit quæ sunt euertere vera,  
 Blanditijs nihil hic obtinuitue minis.  
 Et prostrata fuit sic Indulgentia mendax  
 Monstris cum reliquis quæ latuere dit.  
 Amphitrionyades uelut alter namq; LVTHERVS  
 Depulit auspicijs singula CHRISTE tuis.  
 In templis simul hinc ceciderunt sacra Maosim  
 ( Id fidei bustum proh dolor ante fuit, )  
 Sic ubi fulserunt diuini lumina uerbi,  
 Absterse sordes Relligionis erant,

Barba